SVMMA CHRISTIANAE

RELIGIONIS EXARATA PRI-
MVM Gallice a FRANCISCO
PERVSSELLO Gallico Concio-
natore Londini: Deinde Latine
versa per PETRVM DE-
LOPOELIVM.

LONDINI,
PER IOANNEM
GYBKINVM IN COEMI-
terio Paulino Bibliopolã. Men.
Apri. An. M. D. LI.

P. BELLOPOELIVS F. PERVSSELLO.

Sermo tuus, tua lingua ſequax, oratio, candor
Morum, uis animi concita, lenta manus,
Hæc ita teſtantur qui ſis, ut ſi ipſe legendo
Plura teres, quantus Concionator eris.

ILLVSTRISSIMO EQVITI, AC D. FRANCISCO RVSSELLO Mœcænati suo Petrus Bellopoëlius, S.



RODIERAM hoc mense Decembri è Gallia, eo consilio, cùm ut in Anglia fuisse aliquandò dici possem, tum ut idem necursus esset ipse Religiōis, qui paßim nuntio rumore ferebatur, intelligerem: ut si Religio quidem meam opinionem traduceret, reciperem me statim ad meos, ubi quoàd possem, ac liceret, dum scz. in Italiam cogito, Christiano ipso more philosopharer: aut, quòd commodo meo fieri posset, pergerē hinc rectà Geneuā, ibiq; tanquā in portu perturbationum cōsisterē. Cæterū illam non modo non fefellit euentus opinionem, uerumetiam auxit profectò, uel potius (uerbum ut hoc ponam) uicit. Nactus hìc enim sum omnia eo modo Dei opt. maxi.

beneficio composita atq; constituta, ut quantum quidem attinet aut ad mores formandos, aut ad rationem Ecclesiasticæ disciplinæ, non curem uehementer Lucem Galliæ, neq; sanè Geneuensium Ecclesiam, ut nunc quidem est, mihi magnoperè esse requirendam putem. Huc accedit Gallicorum hîc Ministrorũ mirifica quædã in docendo maiestas, atq; perspicuitas, quibus Luminibus duobus tantum splendoris additum huic Vrbi ipsi Londinenses existimant, ut non datos illos uobis, cuiusmodi & aliis etiamnum in locis, & hîc aliàs Patrum uestrorum memoria, uestraq́; etiam ætate nonnunquam extiterunt, sed ut planè diuinitus huc profectos esse, & quodam quasi fato, hoc potißimum Orbis uniuersi loco consedisse arbitrentur. Commemorarem de utroq; plura separatim, nisi Franciscus ipse Perussellus in tuam pridem (ut arbitror) notitiam uenisset, cuius uiri memoriam tibi Religionis assertori iocundam etiam accidere non mediocri lætitia perfruuntur ac gestiunt qui se cumq; Fidelium hîc appellatione ac nomine populari se iudicio, existimationiq; uenditant: & nisi alter mihi magis amicus esset quàm familiaris,

ris, tametsi & hunc quoq; ignotum non esse tibi ego mihi facilè pro ea quam gerit ipse, functione polliceor, atq; persuadeo. Perussellum cum nuper interpellarem, rogaremq; ecquid non reliquorum Theologorum æmulatione ipse tandem aliquid ad eorum hominum ædificationem, quibus non uacat Concionibus interesse, in apertum lucemq; proferret, cum pluribus eam laudem uerbis deprecatus fuisset, quaq; est animi moderatione hunc se laborem ad alios qui cumulatius efficere id possent, delegare dixisset, omnia enim plena esse Theologicis Voluminibus, prodireq; quotidiè paßim doctißimorum hominum commentationes nouas, ad extremum addidit, confecisse se quidem Summam quandam Christianæ Religionis, idq; ipsum Gallico idiomate, sed non in eum usum, ut quoniam aliena lingua exarata res esset, excuderetur, frustraq; in manus aliorum perueniret. Ego uerò cùm instarem grauiore quàm antea contentione, meq; illi sponsorem offerrem fore ut à multis liber reciperetur, præsertim titulo tam elegante, & Christiano: mallet quorundam qui Gallicè loqui possent, habere rationem, quàm dum omnibus

consultum, uult, nullius, complexus est tandem orationem meam, sed id subductis aliquot otiosis diebus, quibus pollicitus est, rẽ se nobis statim Latinè expediturum. Itaq; operi iam manum admolitus putabatur, cum ego hominem abduci nolens à reliquo cursu occupationum suarũ, eius ipsius confectionem suscipio, Latineq́; quatuor ipsis diebus redditum illi offero, atq; subiicio. Res quomodò confecta sit non puto quenquam esse qui melius quàm tu, cuius quidem auspicio & depulsa uetustatis ignorantia, & lux tenebris superioribus restituta sit, consequatur. Quæ caussa nunc quidem est, ut ego librum huc iam mecum deportarim, ipsumq́; ad te potißimum, Mœcænatem doctorum hominum, Rem præsertim Euangelicam promouentium singularẽ existimarim pertinere. Vt si tibi dignus qui lucem accipiat, esse uideatur, de editione statuas ipse quemadmodum quidem senties. Me certè & temporis neceßitudo quædam, & rerum in quibus uersatur, amplitudo, & authoris candor, & uersionis fortasse non in totum contemnenda ratio ad hoc officium hortata est. Quod officium te rogo ea tua æquitate, beni-

benignitateq́; ut accipias, qua omnia, uel apud nos Gallos qui de te pridem honorificentißimè pronunciare didicimus, uulgò hominum opinione existimaris: Ipsamq́; materiẽ eiusdem quidem Francisci Perusselli, nitorem autem uerborum eius esse arbitrere, qui si ita citò uitam ei Parcæ non inuidebunt, neq; hinc hominem exiget angustia tenuißima rei familiaris, splendorem sit aliquandò tui nominis illustrißimum quidem per se illum, sed tamen illustriorem effecturus. Ex urbe Londino

Prid. Non. Iun.

1551.



PETRVS BELLO-
POBLIVS ECCLESIÆ FIDE-
lium Gallorum institutæ Londini
salutem, & pacem in Domino
nostro Iesu Christo.


VOD PER *hosce mensés sex, quibus hic uobiscum Londini uersor, Fideles ac optimi in Christo Fratres, à Deo opt. max. precatus sum, ut si res eandem omninò, quam cætera doctissimorum hominum scripta semper, atq; ingenia, facultatem habere posset, Francisci Perusselli opus hoc ipsum cuius ille non modò non premebat, sed planè impedire uidebatur editionem, aliquando in uestrũ conspectum ueniret, id ego singulari Dei ipsius beneficio quodam sum hodiè tandem, ut uidetis, cõsequutus. Quæ res quibus initiis processerit quanquam ex ea quæ priore loco præfixa est, Epistola perspicere potuistis, ta*

men

men reputandū est uobis, plus ad id habuisse momenti contentionem meam, quàm aut consilium ullum suum, aut certè uoluntatē. Animaduertebat scilicet operis tenuitatem, & intelligentiam quæ tamen ipsa sua mole capita rerum omnia ad piè, Christianeq; uiuendum pertinentium breuißimè complecteretur, non nisi in paucos posse cadere, ut quæ peregrinæ linguæ consignata esset: neque dubitabat hac etiam ætate permultos in eodem ferè genere laborauisse, quibus rebus adductus duabus, satis esse labori suo factū putabat, si neglecta populari existimatione tantum à familiaribus quibusdam suis domi priuatim legi posset. Quarè perlecto diligenter exemplari nullam moram interponendam putauimus, quin illud statim Latinè cusum, medium in agmen pulueremque deduceremus: neq; sanè pauca in illo esse ostendimus, quæ partim ne attigerunt quidem reliqui Scriptores, partim interrupta ui dicendi, perturbatisq; quodammodò inter se rerum ordinibus inaniter effuderunt. Id cuiusmodi tandèm sit uos imposterum legendo cognoscetis, siquidem ad illorum libros qui paßim eodem titulo circū-

ferūtur, nondum ipsi penetrauistis. At hic longè diuersum tenet Author noster cursum. Proposita enim re de qua disputationem instituat, mox officij sui rationem reddit, uim generis uniuersi explicat definitione, ipsis partibus ita proprietatem illustrans rerum omnium quæ simpliciter ad Christianæ Religionis institutionem attinent, ut non diffluere ullo modo, non excurrere, uerùm ut tota eius in uno quodam, non uario, non aliunde ad rem allato puncto, sed planè suo, definitoq; loco consistere oratio uideatur. In cuius orationis editione quantum ipsi, chariß. Fratres, profuerimus studiis uestris, non arbitror esse nostrum pronunciare: hoc quidem certè consequuti sumus, ut & uos quicunq; literas optimas cum optima natura coniunxistis, & qui Latinè paulò nitidius loqui possunt, rem habeatis quæ & uestram informet rationem uiuendi, & studium etiam quoddam eloquentiæ in animis uestris accendat, atq; commoueat. Valete optimi in Christo Fratres.

Londini Non.
Iun. 1551.

CAP. PRIMVM.



VLGATVM EST, ô Fratres, magnóquè incommodo Reipublicæ pertentatum ac cognitum, Sathanam quidẽ mendacij Principem illum, Inimicumq; ueritatis non modò non quiescere omninò, uerumetiam id unum potißimum efficere ac moliri, ut & ea quæ paßim sacris sunt prodita literis suo more calumniis insectetur, Verbiq; uim diuini illustri nunc quidem, atq; excelso loco sitam, quàm maximè tenuem, & popularem efficiat. Quam ad rem minimè sanè mirum est, maiorem illum hodiè quandam, quàm unquam hactenus, accesßionem afferre, cum intelligat emersisse nunc deniq; Theologiam, commutationemq; eam animorum consequutam esse, utì nunc demum nacta quendam splendorem suum neglexisse quodammodò uetustatem, & ea tempora quibus Apostoli nobiscũ esse desierunt, atquè hoc ætatis quasi flexu maximè quidem constitisse uideatur. Itaq;

perficiens

perficiendum iis est, quos Deus opt. max. adoptionis beneficio filios lucis, fideiq; & Euangelij præsidio à communi errorum molestia tutos esse uoluit, non modò ne cedant hosti tam infesto, tamq; pernitioso, uerùm se ab eius etiam impetu tueantur, ac defendant. Atq; hæc quidem omnibus in uniuersum Fidelibus suscipienda cogitatio est: sed iis præsertim, qui tanquam Pastores, sic præsunt Ecclesiasticæ Reipublicæ, ut eodem illo nomine, altißimo sint in ea loco constituti. Ego uerò cum Dei benignitate eò prouectus sim ipse, ut mihi cum illis communem hanc esse functionē neq; negare honestè, neque cum dignitate eum laborem deprecari poßim, consiliū est habere hac in re rationē officij atq; instituti mei, tantumq; omninò, quantum mea tenuitas postulabit, cōmunem in usum, utilitatemq; conferre. Cæterum quemadmodum Sathan planè frangere ut poßit ueritatis authoritatem, imposturis munit sese, falsas inducēs criminationes impiis suorum sequacium oblocutionibus, scriptisq; præuaricatione, & omni blasphemiarum uarietate delibutis: econuersò nos quoque ipsam ut uindicemus, & uoce uiua pro-
fectò

fectò, & Scriptorum multitudine quæ facul tate errores æquare poßit Inimici, firman di, muniendiq; sumus. Eoq; consilio hinc me potißimum auspicari putaui oportere, iis ut Fidei nostræ rationem redderem, qui in eius cognitionem ita feruntur, ut amplecti cu piant: quam uniuersam sum meo arbitratu persecutus hoc Compendio nostræ Christia næ Religionis. Erit id autem initium, & uelut ingressus quidem ad grauiora, quæ nos Deo fauente meditamur: foreq; confidi mus ut exeant ad uos aliquandò, siquidem intelligemus laborem hunc nostrum neque iniucundum uobis, neq; inanem extitisse. Atq; ut ad rem ueniamus, distribuenda erit Doctrina Christiana præcipuè Deus in par tes: Quæ uerè ac propriè ratio sit Diuini cultus: Deinde, Qua in re una homo uim salutis suæ ponere, inuestigareq; debeat. Quòd ad priorem quidem partem attinet, quæ ipsa in cultus Diuini ratione, substan tiaq; uersatur, fundamentum hoc erit pri atq; præcipuũ: & nosse, & confiteri Deum unum (quemadmodum quidem ipse est, & qualem eum asserunt, confiteturq; Dauid, Iesayas, Hieremias, Baruch, Paulus, & re liqua

duas

primum

liqua omnis ſacræ Scripturæ Vniuerſitas) fontem eſſe Virtutum omnium, iuſtitiæ, ſapientiæ, ſanctitatis, ueritatis, potentiæ, bonitatis, clementiæ, ſalutis. Eoq; nomine cum Paulo ad Rom. gloriam rerum omnium ad illum unum, tanquam ad eum unde hæc naturaliter, uereq; prodeũt, referri planè, ex eo uno optima quæq;, & ſalutaria tanquam ab omnium Principe uirtutum corrogari oportere. Itaq; ſi res facultatem habuiſſe uideatur ut diffluamus aliquandò eis rebus, quas inſtrumenta uirtutum appellamus, eam nos copiam non aliunde mehercule, quàm ex illo uno proficiſci potuiſſe exiſtimemus. Sin autem huius erit conditio noſtra generis, ut iniquitate ſumma fortunæ ieiuna, atq; inclinata quid de rerum ſuarum perturbatione ſtatuere tandem poßit non habeat, niſi hoc unum fortaſſe, ut honeſtioris cuiuſdam uitæ ſpiritum uaſtè, miſereq; ducat, animum ipſi ab omni reliqua cogitatione ad illum unum traducamus, neq; à quoquam, quàm ab illo uno, ſubſidium ullum nobis expectandũ putemus: quemadmodum ab ipſo nobis imperatum eſt per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum apud Iacob. Ioã. & alios, qui miniſterio

suo sacrosanctum nobis diuinarum legũ nomen, testimoniumq́; reliquerũt. Quod idem exemplis quoq; Fidelium suorum memoriæ proditum est: quos in summis casuum humanorũ difficultatibus nihil sibi aut frustrà recepisse de Deo, aut temerè omninò persuasos esse constat. Ex ea Dei cognitione tanquã ex stipite, atq; fonte Laus, Actio gratiarum, Inuocatioq́; nascuntur: quibus officiis tribus, atq; actionibus quantum ei tribui, quantum deferri uelimus, facilè declaratur. Tum enim deniq; obsequentes esse nos eius uerbo quo monemur, orandum eum, laudandum, authorem omniũ rerum agnoscendum esse, significamus. Inuoca, inquit, me in die tribulationis, & ego eripiam te ut me glorifices. Et iterum, Is glorificat me, qui laudẽ offert nomini meo in sacrificium. Et ad Philip. Paul. In omni oratione cum actione gratiarum uestræ petitiones innotescãt apud Deum. Huc accedit, quòd iisdẽ illis actionibus, siquidem eò rectè, atq; cum dignitate peruentum est, quàm honorificè de Deo ipsi sentiamus, ostendimus. Etenim si illum nos alium quempiam esse fingimus, deq; eo alio quodam modo, quàm quo de se ipse

pse profitetur, ratiocinamur, Infinitæ scz potentiæ Deum, Sapientiæ, iustitiæ, bonitatis omnium naturaliū authorem principéq; facultatum, idem in ea quæ non consistunt, cum iis quæ sunt in rerum natura, imperium habentem: ac iis quidem quæ sunt, motu proprio suam quandam uniuersis ita largientem essentiam, ut & uegetet omnia prudentia sua, & eadem si uideatur, ad tristißimos euentus properare cogat: si inquam, alium nos esse illum existimamus, tantum quidem abest ad ipsum confugiendum ut nobis, ut cum Ioue quem pictum, surdum, & cœcum, hoc est, Mortalium supplicationes non exaudientem, nihilq; hæc curantem inferiora meminit in Creta uetustas, quadam potius similitudine coniungendum arbitremur. Neq; uerò difficilius in hoc genere consequemur ut eum implorare non audeamus, si de eo nobis ipsi non inducimus, uelle illum suis propter Filium patris esse in loco remittendo peccata, adoptādo in filios, uocādo in hereditatem gloriæ, perq; Spiritum sanctum suum omnem gratiam infundendo, ac largiendo. Esse, breuiter, explicatum illum iam, & quasi cupidum obtrudendi nobis omnia

quæ

quæ petere unquam in uita, etiam sine Filij sui charißimi Iesu Christi commemoratione poßimus. Quin Adami imitatiõe antè uidelicet quàm per promissum ueniæ, ac salutis in ipsius generatione IESV CHRISTI peccatum eius expunctum est, diffugiemus ad uocem Domini, pudori nostro corruptibiliora prætexentes, quàm frondes: non audẽtes eo uelo circumduci, quod nobis à Deo in unius Christi iustitia preparatum est. Quòd si, quemadmodum dictum est, in summa Scripturæ ignoratiõe, præuaricationeq; inuocare illum aut non dignamur ipsi, aut non audemus, laudare profectò, gratias agentes nihil ei acceptum non ferre, cum nihil illinc quoq; ad nos profectum esse mentiamur, quo tandem modo poßumus? Perspicuum igitur est, superiora illa Inuocationẽ, Laudem, gratiarum Actionem efficere, ut quasi quoddam testimonium gloriæ, quam Deo quidem & debemus, & concedimus, reddere uideamur. Hac in re planè constita est omnis sui nominis ea sanctificatio, quam & exigit præcipuè à nobis, & ipsi toties in oratione quam fecit Dominus efflagitamus, cum dicimus, Sanctificetur nomen

tuum: quæ petitio quidem primi est, & secundi præcepti propria. Ea petitione cùm Deum ab omnibus cognosci purè, Euangelicam uocē audiri, excipi, retineriq; postulamus, tum in id etiam incumbimus, ut in omni ueritate, imploratione, laude, gratiarum actione Mortales illi potißimum obsequantur, & seruiant. Huic obsequendi, seruiendiq; modo adiuncta est adoratio, cuius æmulatione tantum omninò illi deferimus, quantum amplitudini, maiestatiq; eius esse deferendum arbitramur. Siquidem ei tum quanta poßumus deiectione animi prostituimus uniuersi nos, molemq; hanc corporis humani, quæ ipsa nihilominus à Deo, quàm etiam animus in rerum essentia, naturaq; uersatur, atq; eundem animum ad cultum illius, uenerationémque traducentes. Quod etiam ut commodius efficere possemus, præscripti nobis à Deo ritus, ceremoniæq; prodierunt: non quidem uti res quibus adeò circumscripta paßim uis honoris sui, septaq; contineatur, ut reiectis iis spiritus hominis uiuens in timore Dei, uerbiq; amore flagrans, atq; æstuans, & ut uita in omni charitate, & iustitia conformata Deo sacri-

ficium esse desinat acceptum, ac iocundum: sed tanquam quædam duntaxat adminicula atq; subsidia, quorum accesione nos & corpore, & spiritu facilius in omni uirtutis, ac Diuini cultus actione quiescere, in Dei conspectu quodammodò uersari, & quantum esset situm in nobis, obsequij nostri rationem in media Ecclesiæ luce, hoc est, in cœtu Fidelium agnoscere, confiteriq; possemus. Idq; nunc ipsum eo cõsilio facimus, tũ ut eorum quæ toties perperam admisimus, ueniam impetremus, tum ne deprecemur ipsi Dei bonitatem ac misericordiam, sed planè uim illius totam ad communem Ecclesiæ salutem aucupari queamus. Positum autem uniuersum hoc esse in concesione uirtutis Spiritus sancti, in progresione fidei, in actione charitatis, in piis operibus, in patiẽtia atq; constantia in cruce, in sempiternæ liberatione mortis, in usu necessario & æquabili temporalium facultatum: In Principum inter se beneuolentia, unde & fructus pacis, & functionum omnium ad quas singuli uocamur, successus fœlices, & benè constitutæ politiæ, & mediocritas ædificiorum, & Fidei defensio, & gymnasia bonarũ

 artium,

artium, deniq; prosperi in administrationis bus, aliisq; necessariis omnibus rebus euens tus sequantur. Ad hanc rationem nos tum institutis atq; praeceptis, tum exemplis Pas trum, Patriarcharum, Prophetarum, Apos stolorum, ac ipsius etiam Iesu Christi Sacras rum authoritas literarum hortatur. Moyses quidem Ecclesiae Israël cui praefecerat ils lum Deus, bene precatur, cum eam eripi uult ab Ægypti seruitute, fieriq; receptum aliquandò in terrã Promissionis. Iosiae sucs cessori suo fortitudinem optat, & prudens tiam. Dauid ut regnum suum sibi, posteris tatiq; suae decernatur, uota facit, ac postus lat. Salomon ut Templum quod extruxit ipse, omnibus honorificum sit, quiq; in illo comprecabuntur ut exaudiantur, petit, atq; obtestatur. Ezechias, & Iesayas ut oppris matur Sennacherib, eiusq; ut deleatur exs ercitus, assequuntur. Hieremias, & Daniel orant ut quamprimum à captiuitate Iudaei liberentur. Esdras supplicationem instituit ut iterum Hierosolyma, Templumq; aedifis cetur. Machabaei, ut extinguatur Idololas tria, & tyrãnica uis concidat Antiochi. Ipse IESVS CHRISTVS, uti nomen ex-
altetur

altetur Patris sui. Apostoli, ut suorum am-
plitudo Verborum rata, firmaq; maneat.
Atque hæc quidem ab eis in ipsa Eccle-
siæ luce, Fideliumq; concursu fiunt, ac ge-
runtur: idq; & corpore, & spiritu, modera-
tam interim quandam cæremoniarum exer-
citationem præ se ferentibus ad usum omni-
nò perfectæ Religionis omni certè sublata
hominum superstitione, ac tyrannide, miri-
ficè conducentium. Quamobrem cultus ille
propriè Christiano est homine dignus futu-
rus, qui quemadmodū institutus à Deo est,
ita demum à nobis obseruabitur. Quam
nos in rem ingredi nullo modo possumus, ni-
si animū à carnis affectibus, à mundo, à Dia-
bolo sic emancipamus, sic ipsi superioris ob-
liti uitæ ad honestiorem, melioremq; tradu-
cimur, ut ambitioni, libidini, uoluptati quasi
quendam nūtium remittere uideamur. Nisi
deniq; in totum Deo, ut Spiritu sancto suo
præcipuè regamur, sic adhærescimus, ut cū
Paulo dicere poßimus, Viuimus quidem,
tametsi certè non ipsi nunc sumus qui uiui-
mus, sed Christus unus qui uiuit in nobis.
Itaq; tum dubium esse non potest, quim ita
constituti tandem, redactiq; quodammodò

in seruitutem Dei, timorem eius in mediis animorum nostrorum recessitus inclusum, ac positum, nullis interuallis occurrentem, communis uerò uitæ cursum ad eius quoq; gloriam, & nostram etiam salutem propositum habeamus. Vbicunq; enim timor est aliquis Domini, ibi citra controuersiam & uirtutis laudem esse necesse est, & fructum salutis. Ex hac uniuersa rerũ societate conflatur, & efficitur is, quem uerum ac proprium esse dicimus, quemq; Deo gratum, acceptumq; esse iudicamus, honor diuinus, & cultus: præter quem si quid affertur aliunde ab homine, & otiosum id profectò, & apud Deum non mediocri in offensa futurum existimandum est. Non uidemus qua uoce ille cum populo suo per Iesayam expostulare sit solitus? minimè moueri se sacrificiis eorum: satietate captum fastidire iam cepisse eorum holocausta, arietes, animalium pinguedinem? uitulorum, agnorum, hœdorum sanguinem nõ requirere? exosum sibi eorum esse conspectum? Cauete, inquit, uos ne quicquam imposterum offeratis, uanitas enim id est. Fumificatio ipsa mihi in abominationis est loco: Lunæ uestræ no-

uatios

uationem, Sabbatum, festum nuntiatum sus stinere non possum. Eiusmodi res oneri mihi sunt: itaq; fessus iam, fatigatusq; sum. In orationibus uestris cum palmas tendetis, reiecta ceruice, auertam à uobis oculos: cum orabitis, non audiam uos: redundant enim uestræ manus undiq; sanguine. Ex eo nónne clarum est, genus hoc totum Deū obseruandi in externis operibus, remotis scilicet à pœnitentia & iustitia illa interiore cordis quæ Fidei, Deiq;, cognitionis est, collocatū, infensum ei, minimeq; iocundum esse? præsertim cum licet, ab ipso nominatim institutum sit, eleuet illud tamen, atq; reiiciat tanquam imperfectum, neq; ullam assecutum partem eius uenerationis quæ est in spiritu: perindeq; horret, atq; nos corpus aliquod fato functum, cuius aspectu non modò non delectamur, sed auersamur etiam tanquam cadauer uastum, ac mortuum. Quem igitur obseruationis modum postulat ab Israëlitis? Per eundem Iesayam Prophetam dicit, ut filij populi sui in medio ipsius stet sanctificantes Deum Israël, & timentes Deum Iacob, ut qui credunt in Spiritu, intelligant: qui uerò reclamabant, doctrinā percipiant,

ae, discant. Deinde ut morbos animi discu-
tiant, temperent à malo, assuefiant bonis o-
peribus, quod est æquum inuestigent, affli-
ctos erigant, ac recreent, pupillum uindi-
cent ab iniuria, uiduæ matronæ defensio-
nem suscipiant: tandem in ministerium in-
cubentes, ueras cæremonias aspergant, usur-
pentq;. Ac Spiritus quidem sanctus in o-
mnibus paßim Scripturæ locis hãc esse unã
maximè certè puram, atq; conspicuam Dei
colendi uiam, rationemq; testatur: nequid
hic de cuiusquam ingenio commemorem,
quod ipsum si cæco aliquo non fertur im-
petu cupiditatis, sed in una pietatis contem-
platione uersatur, adstipulabitur nullo ne-
gotio nobiscũ, omniq; sublato circuitu uer-
borum tale esse principium, progressumq;
diuini cultus, quale nos illud esse docuimus,
neque illius dißimilem ab initio rationem
extitisse, facilè iudicabit. Hæc sunt sacrifi-
cia, hi suffitus, hi loci distincti, hæ plateæ,
hæc uestimentorum differentia, ac uarietas
inter se, hæc altarium personarumq; conse-
cratio, hæc dedicatio templorum ac taber-
naculorum: hi breuiter sunt ritus, qui antè
quàm se CHRISTVS exhiberet, olim in
usu

usu fuisse, atq; in Ecclesiam Israëlitarum inuecti credũtur, in quibus uera Dei obseruatio sita esse uideri poßit: quam quidẽ obseruationẽ interioris quoq; concursu ueritatis propriè diuinum cultũ efficientis sanctificatam esse maximè necesse fuit. Huc pertinet quod docet Christus: Ecce tempus quo ueri adoratores Patrem adorabunt in spiritu & ueritate. Quorum ambitu uerborum quanquam quidem ipsa sacrificia, fumificationes, & reliquas in hoc genere cæremonias omnes Legis nominatim non cõplectitur, tamen usurpatas eas à Patribus aliquando, atq; adeò in Sacrificium oblatas fuisse minimè negare uoluit: tantum ut quid inter perfectum Dei cultum, & illum externum ipso scilicet humanæ inuentionis artificio ieiunium atquè inanem interesset (tantum autem interest, quantum homo nudus differt à uestito) patefieri quidem existimauit oportere. Itaq; qui olim uariis figurarum inuolucris obductus animus, adũbratusq; fuit, idẽ ille nunc inter nos prodit quasi nudus, paßimq; obuius. Accedit eòdem, quòd immensa illa, ac propè infinita multitudo ueterum cæremoniarum resedit

ſtam beneficio gratiæ, atq; exaltationis in cruce Ieſu Chriſti, tanquam maioris id luminis acceßione, quod uetuſtatis imbecillitatem tueri uidebatur, & ad duo genera Sacramentorum, Baptiſmum, & Euchariſtiã, & alia quædam ſine quibus hæc religioſè non poſſunt administrari, cõtracta, reuocataquè eſt. Vim abrogationis illius notat Paulus, affirmans Chriſtum noſtrã eſſe pacem, ut qui ex duobus illis unum quoddam cõflarit, & aſſumpta carne diſiecerit interiectum parietem, nempè offenſionem, Præceptorum legem quæ quibuſdam Decretis continebatur, obrogans, planeq; conuellẽs. Vnde ab omni memoria ætatum ac temporum obtinere debuit, Deũ qui, & ipſe Spiritus eſt, debere adorari in Spiritu, & ueritate. Porrò ad hæc omnia & hoc quoquè uelut axioma quoddam perpetuum, adiungendum eſt: ne quid quod noſtrum eſſe, noſtroq; adblandiri iudicio uideatur, unquam adiiciamus, aut omnino interpũgamus: quin potius iis quæ ab eo condicta conſtitutaq; ſunt, qui ſolus & optimus eſt, & nouit poteſtq; imperare bona, prohibere contraria, abundè nobis ſatisfactum putemus. Hinc

enim quanto interuallo germanus Dei cultus ab illo ſit uitioſo diſiunctus, cumulatiſsimè oſtenditur. Quemadmodum etiam Nadab, & Abiu filiorum Aaronis exemplo doceri poſſumus, quorũ officium eis in offenſa tum fuit apud Deum, cum & thus obtulerunt, & odorem quendam inuexerunt ignis inſuetum, atq; nouum coram Deo: ſiquidem quæ facinus eſt ultio, quæ animaduerſio conſequuta facilè teſtatur, illud non gratum Domino, ſed planè impium, moleſtumq; accidiſſe. Neq; uerò in textu alia ulla tam grauis iræ Dei cauſa fuiſſe commemoratur, quàm quòd neq; Dei præceptum ullum, neq; dogma Scripturæ quo in eam ipſi opinionem adduci debuiſſent, habebant. Immo in Deut. apertè nobis indicitur, nequid ad Dei uerbum addamus, nequid minuamus.



CAP. SECVNDVM.



HRISTIANAM Institutionẽ nos cum diduceremus initio duas in partes, alterã esse diximus in cognitione positam earum rerum circa quas Salutis nostræ ratio quædam, perfectioq́; uersaretur. Ad eam ipsi cognitionem tribus his ueluti gradibus ascendimus. Ac primum quidẽ ipso sensu nostræ tenuitatis, ac damnationis: Deinde, beneficio notionis Iesu Christi, qui solus est à Deo author constitutus æternę fœlicitatis, & saluationis: Tãdem, constantia fidei in ipsum Iesum Christum filium Dei, qua & suscipitur totus, & nobis propriè, omneq́; in ipso bonum uendicatur. De primo, qui in sensu uersatur nostræ miseriæ, atq; imbecillitatis: nos usu, naturæq́; ordine uidemus, primũ esse omnium in diluenda ægrotatione morbum agnoscere: neq; enim bona quisquam ualetudine temerè Medicorum opus ullum requirit, aut omninò de eo quicquam sibi nõ frustrà pol-

licetur. Nos etiam quicunq; à iustitia, gratia Dei, saluteq; discessimus, in gratiam uti redeamus, ab eiusdem nostræ sensu imbecillitatis cui per peccatum irretiti tenemur, incipere, auspicariq; debemus: eoq; duci profectò tandem, utî tanquam perditi ac mortui affligamus ipsi nos, & quantum quidem est in nostra natura positum, miserè comprimamus. Effici id autem nullo ferè negotio potest, quoties erūpit regione ex una, proditq; uniuersa sese hæreditario illo iure trāslata ad omnes nos nostræ naturæ corruptio atq; labefactatio, seminarium uidelicet in nobis malorū omnium, perfidiæ, insultus aduersus Deum, ambitionis, auaritiæ, libidinis, & omnis generis ineptarum ad omne bonū, & ad malum maximè certè procliuium, atq; proiectarum cupiditatum mater: tandem auersos nos ab æquitate & iustitia compingens in seruitutem ac tyrannidem peccati, mortis, inferni. Quoties, inquā, latere nos ex uno animum earum rerum cogitatione cōplectimur, deinde ex altero nostræ in iudicium citatæ conscientiæ coram Deo uadimonium obire, eoq; modo nostra peccata patefieri compelluntur. Tum enim illorum

male

maledictione perspecta subducimus uerecun-
di nos, & agnoscentes turpitudinem nostrã
nobis ipsi displicere incipimus, neq; ullius
rei nomine quæcũq; aut præsidio nobis, aut
ornamento esse poßit, non modò non gesti-
mus ipsi, sed ne plus quidem nobis esse pro-
pterea tribuendũ existimamus. Quin po-
tius æternæ quasi mortis pronuntiata sen-
tentia, iræ Dei perturbatione fracti, debili-
tatiq;, & ita proiecti tandem, fereq; tum
suppliciorum exanimati terrore, tum acer-
bitate, ac mole oppreßi peccatorum nostro-
rum decidimus omni spe præsidiorũ carnis,
quãtaq; sit uis ærumnarum nostrarum ani-
maduertimus. Ac tum deniq; caput primũ,
quod est ipsum in perspicientia salutis no-
stræ, & gradum attigimus, consecutiq; su-
mus. Sed uidendum est etiam atq; etiam di-
ligenter, ne in eiusmodi subsidentes abie-
ctione uasta, detestationeq; uitiorum, uitio-
si quidem planè certè nos supersedeamus,
neque longius quam quò sumus delati me-
ditatione, progredi ipsos oportere iudice-
mus, uelut Cayn, Saül, Iudas, & cæteri qui
sub iudicij Dei condemnatione substiterũt:
aut exemplo Pharaönis obfirmati confun-
damur

damur ipsi, animoque consternemur, uerum ut attoniti quasi, perturbatiq; desyderio recolligendi nobis Deum iure optimo peccatis nostris obiratum, pacemq; tandem cum illo constituendi mœsti ac dolentes ingemiscamus, Christumque, uitiorum scilicet cautionem unam nostrorum, uti per illum in gratiam restituamur, suspiremus: quam rem, nisi ueram perfectamq; ipsius notitiam habemus, efficere non possumus. Ex hoc igitur gradu primo ad secundũ qui in Christi scientia, perspicientiaq; uersatur, perducimur: qua scientia erecti, sustentati, recreati colligimus ipsi nos, uarieq; recipimus animum, atque confirmamus. Cæterum dum de huiusmodi Christi notione commentamur, non eam uolumus intelligi uideri cognitionem Historialem personæ, factorumque suorum, qualem Arrius, Ebion, Cherinthus, Nestorius acceperunt, quique sunt illorum modum, rationemque consecuti: qui & ipsi confeßi sunt in Nazareth conceptum IESVM, & natum in Bethleem: prædicationem item illius, miracula, ieiunia, paßionem, mortem, resurrectionem, ascensionem, & acta reliqua,

atq;

atq; mysteria, quæ Sacrarum monimentis literarũ consignata sunt. Quinetiam & Pylatus, & Herodes bonam eorum omniũ partem sibi quoq; persuaserunt: & Mahumetes ipse nihil non eorundem propemodũ confitetur: qui tamen uniuersi ad frugem bonam salutemq; sese recipere non potuerũt. Nos etiam nemini concedimus, ut unam quandam tenuem, & simplicem Christi philosophiam prædicatione consectari nos arbitretur: quo in genere ne Papa quidem, Cardinales, Episcopi, Monachi, Sacerdotes, quiq; Decretis eorum, ac dogmatis imbuti sunt, offendunt: immò uerò agnoscunt, atq; concionantur Iesum filium Dei, Messiam, Christum, eadem cum Patre essentia, potentia, sapientia, bonitateque prædituni: uerum illum hominem esse ex semine Dauid, natum ex Virgine, conceptumq; ex Spiritu sancto: & ita quidem personæ ueritatem illius minimè in dubitationem inducunt. Sed ui tamen agnitionis istiusmodi nihilò meliorem suæ salutis conditionem assequuntur: quin cum reprobatis Spiritibus miseri damnantur: qui spiritus migrantes ex hominum corporibus Christum confitebantur, uociferabanturq;:

haha,

haba, Quid nobis negotij tecum Iesu Nazarene? Scimus enim te sanctum esse Dei. Et iterum: Quid tibi rei nobiscũ Iesu fili Dei? Verum & hæc quoq; nihil ipsam ad salutem. Genus igitur hoc totum perceptionum animi leuius est profecto, quàm ut eo nos aditũ ad Christum habere, perq; illum, & in illo communibus hisce miseriis eripi poßimus. Quemadmodum enim ut quis à Principe impunitatem assequi cupiat, nõ tantum refert persuasum ut habeat Regium nomen, familiam, clementiam, humanitatem, sed operæpretium est etiam certus ut sit habere illum authoritatem ignoscendi, uelleq; si interpelletur, animaduersionem remittere atq; condonare: eodem nos modo ad salutem in Christo iaciendam, omnibusq; conquirendam uestigiis ut incitemur, necesse est præter historialem illam factorum intelligentiam, ueritatemque personæ, etiam tenere, esseq; planè persuasos officij, uirtutis, authoritatis quam illi Pater & in Cœlo, & in Terra tribuerit, & obtentu cuius omne genu tam cœlestium, quàm quæ terra continentur, rerum, inferorumq; flectatur. Talem illum porrò ad salutem suam is demum esse scit,

qui erecto, constantiq; animo solum æternũ, supremumq; immolatorem ipsum, cuius opera Patri reconciliati simus, agnoscit. Qui mortem ipsius peccatorum omnium præteritorum, præsentium, futurorum solum piaculum, Deiq; iustitiæ aduersus tam originis, quàm mortis praue facta satisfactionem esse, eiusq; beneficio & quæsitum fauorem Dei Christianis pœnitentibus, & ueniam impetratam delictorum credit, atq; confitetur. Qui Patrem sua infinita bonitate dedisse illum credit nobis, charitateq; erga nos immensa nostra ad illum uitia transtulisse, arrogauisseq; nos ad cœlestem hæreditatem: eaq; nos in charitate retinere atq; conseruare, eius ut causa nullã omninò suorum beneficiorũ partem nobis non secum communẽ esse uelit. Qui credit prætereà Sacrificium illius adeò gratũ esse, ac iocundum, tantiq; apud Deũ roboris atq; dignitatis, ut si fidentes in illum defigimus oculos, spemq; nostrã in ipso positam habemus, existimamusq; Sacrificiũ huiusmodi semel in uniuersum oblatũ expiationẽ afferre peccatorum omnium, neq; condemnare uelit ipse nos, neq; meherculè etiam poßit. Ad extremum

mum is propriè Christũ assequitur, qui illũ confitetur, ac tuetur solum interpretẽ boni totius, eiusq́; liquidum beneficium, & ad nos gratuitò delatum, quo quidem omnes coràm Deo iustificemur, esse recognoscit. Sanè qui ita Christi cognitionem habeat, is demũ secundum contingat gradũ, atq; caput salutis suæ: immò etiam si pro explorato teneat omnia quæ ipse de Christo profiteatur, oblata, tributa, accommodata perinde esse sibi, quasi propriè, reueraq́; existãt sua. Consentaneũ igitur est ab hoc ipso gradu prosilire statim ad tertiũ, uidelicet ut quicunquè Christi sit gratiam, mortis, resurrectionisq́; suæ fructum assecutus, in eo perfecta, atq; perpetua fiducia conquiescat: paßionemq; Iesu Christi, mortem, ac resurrectionẽ tanquam dogma aliquod, deniq; Christum ipsum uniuersum, simulac innumerabiles illius dotes sic demum asserat suas, ut & salutem, & in ipso etiam uitam teneat immortalem. Et certè si ita tandem ei cautum est, ad eum sine dubitatione confluxerint omnia, factaq́; propria sint ipsius. Etenim quemadmodum manu corporea nos oblatum excipimus, retinemus, potimur: eodem anima modo salute

cumulata, habensq; Deum omninò in se singularem, dona, gratias (ut ita ponã) omnes, iustitiam, uiteq; rationem Iesu Christi capit, aufert, consectatur. O quàm fortunati ac fœlices, qui priora illa præteruecti, portum hunc cõspicere, atq; hoc quasi flexu rerum aliquandò consistere putuerunt. Hoc de hominum genere disputat in eam sententiam Paulus. Quis, inquit, electos Dei accusabit? Deus is est qui absoluit. Quis condẽnabit? Christus is est qui mortuus est, & qui porrò resuscitatus, qui aßidet Deo ad dexteram, qui pro nobis expostulat. Quibus quidem uerbis Apostolus certitudinem indicat salutis eorum, qui ad hunc ultimum prouecti gradum sunt. Exploratum itaq; sic habere sensum salutis suæ, fideq; uiua tantum Christi consequi beneficium, atque eiusdem fidei magnitudine & cõstantia accendi, flecti, rapi ad agnitionem & gratitudinem ergo Deum benefactorem egregium, unicumq; seruatorem, rebus omnibus quas aut uetat ipse, aut quemadmodum quidem ei uisum est, imperat, ex animo semper obsequium præstare, tandem in omni pace, tranquillitateq; conscientiæ uegetum esse

atq; compositum, in eo demum est omnis humana fœlicitas, ac beatitudo. Et ita Gratia Dei optimi, maximi, qua homo ratione planè uereq; cognoscit, unde petere salutem suam, expectareq; debeat quodammodò tradidimus. At herculè peruenire ad ueram salutem, recteq; sacra conficere non est nostræ facultatis, nisi tribus his rebus, Doctrina, Gestione Sacramentorum, honesta Disciplina, moderationeq; sancta Ecclesiæ nixi sumus: de quibus rebus antè quàm absoluamus, pauca quædam attingemus. In hoc ordine primum sortitur Doctrina locum, idq; ipsum iure: est enim duarum partium reliquarum fundamentum fulcimentumq;, qua percipimus scripta Prophetarum, Euangelistarum, Apostolorum Dei, nempè Canonicos libros ueteris, nouiq; Testamenti. Fundamentum autem illud cui superastructum est ædificiū Ecclesiæ in præstantißima angulari Petra, quæ est IESVS CHRISTVS, sunt diuina isthæc oracula prodita à Spiritu sancto, quibus se Christus ad admirabilem sensum & consilium suum Orbi uniuerso manifestum fecit. Quibus in libris continentur etiã omnia quæ suprà sunt

illustrata à nobis, quæquè necessaria saluti nostræ, iustitiæq; possunt esse. Quid enim homini quærenti iustitiam suam uenire potest in mentem optare, quod illic ipse affatim positum non uideat? Complectuntur ij libri, quem olim Patres, Patriarchæ, Prophetæq; Deum adorarint, unum illum esse uerum Deum, Omnipotentem, Æternum, qui sui ui uerbi crearit pro arbitrio omnia, & eadem infinita sua bonitate, potentiaq; sustineat, qui iustitiam exerceat, qui misericordia omnes quatenus ei complacitum sit, persequatur: cum intereà nemo sit qui exquirere de eo consilium suum aut possit, aut debeat. Qui ut fidem quam Adamo, Abrahamo, Isaac, Iacob, Dauidi, cæterisq; dederat, liberaret, suo tempore dimiserit filium ad nos suum IESVM, eo consilio ut Agnus peccata Mundi tolleret: eosquè qui in ipso reponerent omnia, expeditos faceret à Sathanæ tyrannide, à peccato, à mundo, à morte, ab inferno, ut iustificaret, ut uitam eis æternam daret. Illic item docemur, Iesum tum esse uerũ Deum, quem in æternũ generarit Pater, tum secundũ carnẽ uerum hominẽ, natum ex Maria Virgine, conceptũ

ex

ex Spiritu sancto, crucifixũ sub Pontio Pylato, nostræ redemptionis effectorem: iustificatos item ab illo nos, liberatos ab iniustitia coràm Deo per sanguinem effusum suum, quo quidem sine intermißione colluit Ecclesiam suan, ut immaculata prodeat eo die quo iudicatum uenturus est Mundum, ac unicuiq; secundum operum dignitatem redditurus: posteà ut Deum Patrem suum inducat in Regnum cuius ipse nunc quidem & gerat hic uicem, & actionem illius authoritate suscipiat. Apparet deinde testimonio scriptorum illorum Spiritum sanctum quemadmodũ & Patrem, & Filium, Deum esse etiam ex utroq; proficiscentem, eandemq; cum illis exhalantem essentiam, ac naturam. Estq; in ipso charitas & amor, cuius amplitudine & loquuti Prophetæ sunt, & Apostoli in Euangelij prædicatione confirmati: pertinentq; ad illum unum dotes omnes Ecclesiæ, ipsiusq; membrorum, omnis etiam sancta & uera dotium illarum, boniq; functio totius, atq; administratio. Vnde passim in locis Scripturæ consolator, deq; sublimi uirtus appellatur, quòd armet, muniatq; nos aduersus Sathanæ, ministrorumq; suorũ

oppugnationē, aspergatq; inclinatis nostris rebus eam remissionem animi ac iocunditatem, ut & fastidium inducat earum, & uegetiores imposterum ad tolerandū efficiat. Ostenditur præterea in iisdem Scripturæ locis sanctum hunc Spiritum, tanquam arrham quandam, nobis esse concessum ut certum habeamus adoptatos esse nos à Patre Domini nostri Iesu Christi in filios: eundémque Iesum Christum unicum ab illo quasi medium constitutum nostræ electionis, uocationis, iustificationis, sanctificationis, glorificationis. Ad dextram sedere illum sui Patris, ut ibi patroni, mediatoris, intercessoris, reconciliatoris officio fungens superesse nobis semper, eoq; principe quæcunq; à Deo postulamus auferre possimus. Notari autem uolo diligenter quod dico de sancto Spiritu, datum scilicet illum nobis ut ne quid harum omnium rerum in controuersiam adducamus. Neq; enim eo sublato fieri sanè unquam potest, quicquam ut de eo nobis ipsi persuadeamus: quæ quidem causa est quamobrem Iudæi, Turcæ, ac Infideles alij sibi inducere non possunt IESVM Dominum nostrum eum esse, qui secundùm

Prophetas solus promissus, atquè adeò missus huc ad nos sit. Equidem in hoc omnis illorum est error, quòd hoc uniuersi sancto Spiritu uacui, defectiq; sunt. Docet enim Paulus, nemini integrum esse Iesum confiteri Deum esse, & Dominum, habentem facultatem salutis afferendæ, id nisi Spiritus sancti beneficio, uirtuteq; contrahatur. Itaq; ut quod ipsi de Dei benefactis erga nos animo concepimus, ab eodem sancto Spiritu proficisci intelligatur, idem Apostolus prima ad Corinth. habere nos spiritum non Mundi, sed Dei, ut ea quæ nobis à Deo tributa sunt, sapienter distinguamus, arbitratur. Et ad Roma. Spiritus, inquit, spiritui nostro filios nos esse Dei, & deinceps hærédes ipsius, cohærédes uerò Christi testimonio est. Postremò in Scriptura Spiritus ipse etiam monitor appellatur: monet enim nos quomodò mores interpolare, uitæq; nostræ rationem à uitiis ad honestatem traducere debeamus. Vt quemadmodum usu uitæ diuturno naturalem excludẽte ritum ac modum, hominis constitutio tota demigrare in aliam quandã naturam potest, ita ut qui cholerico fuerit anteà, concitatoq;

tatoq; humore, remisso iam habitu, tempera-
toq; esse poßit: sic quoq; Dei Spiritus in ho-
mine faciat ut & corporis cõstitutio diuer-
sa, & morum inuersio uaria, uitæq; totius
commutatio quædam consequatur. Eoq;
consilio Diuus Paulus spiritui Dei renoua-
tionem adscribit hominis interioris, nouita-
tem uitæ, digreßionem à priori consuetudi-
ne. Breuiter, afflatu Spiritus uetusti cor-
ruunt affectus, accedunt noui. Subiicit enim
Paulus, Qui uerè filij Dei sint, ducem habe-
re eos, gubernatoremq; Spiritũ. Hæc omnia
paßim in ipsis Bibliæ Canonicis uolumini-
bus, & alia pleraq; ad huius rationem insti-
tuti pertinentia, quæ nos hoc loco designan-
da non putamus, uariè, copioseq; tractantur.
Idonei igitur illi non sunt libri unde perfe-
ctam salutis nostræ, atq; iustitiæ cognitio-
nem accipiamus, expleamusq; animum Dei,
iustificationis nostræ, & æternæ beatitudi-
nis intelligentia? Atqui præter eos tria
quoq; Symbola, nempè illud quod uulgò A-
postolorum existimatur, secundum Concilij
Niceni: tertium Athanasij tanquam capita
quædam rerum quæ à Prophetis, & Apo-
stolis traditæ sint, admittimus. Quatuor
item

item maxima grauißimaq; Cōcilia, Nicenū, Constantinopolitanum, Ephæsium, Calcedonium, & reliqua alia in uniuersum, quatenus Scripturis adstipulantur, atq; consentiunt: eorumq; instituta aut sunt expressa nominatim è Sacris, aut ex eisdem asserta, ac probata necessariò. Deniquè Scripta quoq; Doctorum, Patrumq; Ecclesiasticorum, ac Fidelium omniū temporum: ut Tertuliani, Cypriani, Ambrosij, Hieronymi, Augustini, Vvitclef, Ioannis Hus, Hieronymi de Praga, Hieronymi Sauorauolæ, Lutheri, Zuinglij, Oecolampadij, cæterorumq; similium, quorum dogmata cum Canonicis utriusq; Testamenti uoluminibus præceptorum similitudine coniunguntur. Secundùm uerbum, ac doctrinam necessaria est etiam administratio Sacramentorum, Baptismi scilicet, & Eucharistiæ, quæ duo quidem eās obrem à Christo sunt instituta, ut sint instrumenta suæ nobiscum communionis, & symbola beneuolentiæ, meritorumq; suorum erga nos: quibus beneficia sua tum ipsi recipiamus, ut remißionem peccatorum, ut cum Deo Patre, Filioq; suo communicationem, ut rectum Spiritum, ut suam toto nostræ

uitæ

uitæ cursu benedictionem : tum illum con-fertim uniuersi cõfiteamur, magnifaciamusq; nos ad illum totos conferamus. In hoc nos toto tractatu Sacramentorum Cœnam duntaxat, Baptismumq; consectamur, propterea quòd promissionem quidem uniuersalem Dei de salute sempiterna cum elementorum institutione complectuntur: Deinde præceptum eorum ad usq; sæculi cõsummationem usurpandorum continuandorumq; : quæ res duæ uera sunt insignia, notæq; Sacramentorum. Neq; uerò ullum illorum quinque quæ populari iudicio modernorum Scholasticorũ, Sacramentorum appellatione continentur, his (ut liquet) compunctum est notis: at Eucharistia, & Baptismus promissi uerbum, præceptumq; continent, stygmatis elegantibus impressum illud, atq; uestigiis. Habet enim elementa panem, & uinum Eucharistia, mandatumq; celebrationis ad nouissimum usq; aduentum Iesu Christi: quemadmodum apud Luc. scriptum est, Hoc facite in meam commemorationem. Et prima ad Corinth. Quotiescunq; ex hoc pane edetis, & de calice bibetis, mortem Domini annunciabitis donec ueniat. Sacra-

mentum

mentum etiam Baptiſmi elementum habet aquæ, ſimulq́; nitititur his uerbis: Baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Succedit deinde mandatum: Ite, & Baptizate. Quorum utrunq; Sacramentorum promißionem habet quoq; remißionis peccatorum, ſalutis, uitæ æternæ. Quemadmodum de Baptiſmo Ieſus: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Et de Cœna Paulus: In diſtributione, communioneq́; panis, & calicis, hoc eſt, uini, communicamus corpori, & ſanguini Ieſu Chriſti, & deinceps omnibus illius donis, ac muneribus, quod ipſum ſine integra remißione peccatorum effici non poteſt. Cæterum ita demum de his quinque, quæ Sacramenta uocant, ratiocinantes, non idcircò ea reiicere, deſpicatuiuè ducere uolumus: quin potius, ut cæremonias, in laude ponenda partim eſſe arbitramur, ut Vnctionem in primitiua Ecclesia, & manuum etiamnum obſeruatam, & quaſi per manus nobis à Maioribus traditam Impoſitionẽ: partim ut ſanctas actiones, cuiuſmodi ſunt Connubium, & omni remota ſuperſtitione Confeßio. Quanquam ea nomine Sacramentorum appellare, id aliter

ter esset loqui, quàm quomodò IESVS est CHRISTVS locutus: qui ut Ecclesiam suam in eo rerum genere quod exposuimus, sartam tectamq; conseruaret, duo illa quidem quorum in hanc rem est cum doctrina administratio necessaria, ad eam extulit amplitudinem, atq; dignitatem. Accedit eòdem & ipsa Disciplina, hoc est, peccatorum correctio ad frugem, atq; cum lenitate mixta castigatio: deinde obstinatorum ignis & aquæ interdictio, atq; anathematizatio: assertio mutua uniuscuiusq; in ea functione ad quam uocatus ipse sit, deq; ea suscipienda cogitatio. Cui disciplinæ & Principis ipsius, & Christiani quoq; Magistratus adiuncta manus esse debet, ne uiribus deiecta renitentium occumbat, deq; iure suo decedat: quandoquidem minimè permeat animaduersionem corporis, nisi quatenus Deus excommunicatos, resilientesq; à sacrosancta disciplina Ecclesiæ hisce etiam inferioribus in rebus uulgò execratur. Sed quia non statim adoritur eos, sed cunctatur, uenitquè usu ut offendi se pati uideatur, alij facilè ad censuram Ecclesiasticam contemnendam adduci possent, nisi timore Ma-

gistratus

gistratus impediti, cui communis est hæc cum Ecclesia, ministrisquè eius officiorum unuscuiusq; in hominum inter se societate conseruatio, ab eo facinore reuocarentur. Conseruatorem illum officiorum uoco, uel cum ministris ipsis, & Ecclesia communiter: illum quidem quantum ad corpus, reliquos uerò quoad animum. Si enim Princeps timet, amatq́; Deum, unde ad glorificandum eum tuendæ Disciplinæ est facultatem assecutus, si pariter cum Ecclesia Ministri quoq; rectè in suo munere uersantur, authoritatemq́; suam in mutuum fauorem, subsidiumq́; conferunt, expeditum est eis è media luce Fidelium uitia omnia, & exempla perniciosa conuellere, uirtutibúsquè, exemplis illustribus, & functionibus ad benè honesteq́; in hac Reipublicæ Christianæ societate uiuendum pertinentibus dignitatem etiam afferre: pauperum rationem habere, decumbentes ex morbo uisitare, exercere hospitalitatem, gymnasia, atquè alias Ecclesiasticæ moderationis partes in officio continere. Quòd si Principis ac Magistratus authoritas ad Sathanæ, peccatiquè regnum expungen-


dum

dum, constituendum autem propagandumque sanctimonia uitæ eorum, atque subditorum imperium Dei, ad Ecclesiastici ministerij similitudinem directa non est, tantum quidē abest ut authoritate huiusmodi promoueri pax, reiq; publicæ ratio ulla retineri posßit, ut destituta fauore Dei, iræq; ac uindictæ perturbatione concussa maiestatis suæ, præter excidium, & honestatis, iustitiæ, ordinis, tranquillitatis suorum miserandum quendam casum nihil sibi polliceri posse uideatur. Eodem modo de disciplina eius Ecclesiæ quæ aliis in rebus, quàm una Dei uoluntatis contemplatione uersatur, cuiusmodi ea est in qua regnat Antichristus incumbens omninò in tyrannidem suam, iudicandum est. Quamobrem Ministri, Principes, Magistratus, ac Populus uidere diligēter debent, quemnam ipsi sibi præficiant Pastorem. Vbicunq; enim fidelis est Pastor, & uigilans, ibi non modò multitudo popularis, uerum etiam Magistratus, Princeps, Rex, Imperator ipse (quemadmodum apud Ambrosium exemplum est) uerbi Dei authoritate in officio continetur, pendetq; ex eo moles uniuersa Reipublicæ. Contrà si neq;
talis

talis est Pastor, neq; doctrinæ uis ulla recipitur, languescitq; uerbi Dei authoritas, ibi ne forma quidem, aut certa ratio ulla Ecclesiæ administrandæ potest inueniri. Defluitq; tum omnis Dei cognitio, & deinceps quicquid hominibus afferre potest utilitatem, iustitiam, honestatem, fœlicitatem: quemadmodum & antè hunc diem uidere profectò ipsi potuimus, etiam (proh dolor) plærisq; in Regnis, Ditionibusq; uidemus non sine animarum, corporum, facultatumq; dispendio, uastitateq; contigisse.

ECCE breuiter Diuinæ Institutionis primas ac præcipuas quidem partes. Ex qua uera illa profectò, atq; perpetua certam nos Dei, uoluntatisq; suæ, quòd ad ipsius uenerationem, & nostram etiam salutem in ipso per Iesum Christum attinet, & moderationis Ecclesiasticæ tum usu uerbi dispensationeq; Sacramentorum, tum actione Disciplinæ, cognitionem assequimur. Quibus partibus abundè, perspicueq; declarantur omnia quæ pertinent ad Scripturarum intelligentiam, ac scientiam: quarum studium omnibus, prouectis æquè

ac pueris, est non mediocriter necessarium, ac salutare: siue res auditiõe priuata, publicaue traducitur, siuè aßidua lectione, meditationeq́;, quæ ipsa tenebras discutiat animorum nostrorum, corruptionemq́; dispungat carnis: excitetq́; nos ad earum rerum obseruationem, quæ iisdem Scripturis sunt traditæ diuinitus. In quo uno Dei opt. max. gloria, nostraq́; ipsorum infinita beatitudo uersatur. Cum Iesu Christo cui soli laus, honor, & imperium, Amen.



MARTINVS FAR- GANVS F. PERVSSELLO ECCLESIÆ GALLICÆ MINISTRO. S.



STVDIVM P. Bellopoëlij Fratris nostri erga honorẽ, & existimationem tuam singulare nullis uestigiis imprimi potuit illustrius, quàm ex eo, quòd descripto à se Latinis literis hoc quasi initio rerum, quarum nos & usum longiorem, & grauiorem consecutionem sperare debemus, (siquidem falli non potest expectatio, quam isto Tractatu tuo nobis ipse commouisti) uenire illud libenter in hominum conspectum, ne què diutius inter schædas latere uoluerit. Qua in re ipse dupliciter sibi uidetur consuluisse. Primùm relicta tibi occasione eo pergendi pede (ut est in Prouerbio) quo cepisti, maxima non sine lætitia profectò, ac cõmodo totius Gal-

licæ Ecclesiæ: quæ sanè occasio eiusmodi quidem est, eam ut malim te complecti cogitatione, quàm huic præsertim committi generi literarum: deinde, quòd cognitionẽ ipse sit eorum præceptorum assequutus, quæ tu quidem doctißimè, grauißimeq́;, sed non tam latè quàm certè uoluissemus, copioseq́; collegisti. Quòd si, quemadmodum te recepisti facturum, institutũ tuum persequi, neq́; tibi in tam præclaro negotio deesse uoles, Deus ipse scit, & nos etiam fidem tibi facere possumus, nihil esse planè cuius desiderio magis torqueamur, quàm ea uidẽdi aliquandò mandata literis, quæ uos sic exequi soletis concionando, non tantum ut nobis Gallis qui in unum quasi huius Ecclesiæ iam corpus coaluisse, confluxisseq́; existimamur, admirationi profectò sitis, uerũetiam honestißimis aliis hominibus, qui mediocrem quandam linguæ Gallicæ facultatem adepti uestris ipsi Prædicationibus interesse consueuerunt. Itaq́; P. ipse Bellopoelius is est deniq́;, qui hoc nomine magis ac magis perpetuò se quoq́; commoueri sentiat: unde sanè facilè perfectum est, admota etiam grauißimorum quorundam uirorum

contentio-

contentione, ut intermissa reliquorum studiorum cogitatione huius operis editionem urgere ceperit. Quod ipsum quidem ego tibi possum affirmare, qui pridem non uulgare apud illum ius fraternitatis (ut ita loquar) amicitiaeq; consecutus, omnibus ipsius consiliis non intersum solum, sed etiam praesum. Neq; uerò dubito quin ita rem digesserit, eum ordinem in dicendo conseruarit, ut si fidē inspicias, cuius maximè rationem lineamenta ferè uerborum sequens, habuit, tantum abest à cursu rei propositae digressus ut sit: siue tractum lustres, filumq; articulorum orationis, facilè mihi persuadeam fore ut tibi nihilò satisfaciat minus, quàm iam fecisse uidetur quibusdam literatis hominibus, quibus antè multò quàm de operis publicatione quicquam statueretur, negotium patefactum, communicatumquè est. Quamobrem quantum est in me positum peto nunc à uobis, qui ambo & oratione, & scripto nobis non mediocri ex usu potestis esse, ut exemplo caeterorum qui in eadem sunt uobiscum Ecclesiae sede collocati, semper aliquid ad communem fructum Fidelium afferatis: id quod & huic nostro Coetui per

quam honorificum futurum est, & nobis priuatim utilißimum, qui quantum licet, depositis cæterorum Authorum uoluminibus, libenter in uestrorum monimentorum lectione conquiescemus. Vale in Christo. Londini. 4. Id. Mai. Anno ab Orbe saluti restituto. 1551.



Errata quædam per incuriam admissa.

Folio.7.pagina.1.uersu.22.primum.
Fo.13.pag.1.uers.18.ieiunum.
Fo.16.pag.1.uers.8.suspiremus.

Pio Lectori.

Qvi ſumptum metuis librorum, nec ſatis amplum
(Lector) tempus habes, en tibi parua paro.
Qui Scripturarū ſtudio quoq; duceris, ecce
Qua propriè conſtet relligione Salus.
Si mihi non credis, luſtrato ſingula, tandem
Si uictus credis, glorificato Deum.